

ANEXO I:

COMENIUS: RESUMEN DE SU METODOLOGÍA

Iohannes Amos Comenius (1592 – 1670)

- 1592, die 28. m. Martii, natus in Moravia (fortasse in vico qui vulgo vocatur *Komňa*, inde Iohannes Amos *Comenius* dictus, fortasse in oppido Hunno-Broda vel Nivnitia)
- 1608-1614 studia Prerovii, Herborni, Amstelodami, Heidelbergae
- 1614 scholae Latinae Preroviensis rector, 1616 Unitatis fratrum Bohemorum sacerdos ordinatus
- 1628 Lesnam in exilium se contulit, ibi Unitatis fratrum episcopus creatus, vicarius rectoris gymnasii factus
(*Propositio brevis de scholis in Regno Bohemiae reformandis*^B, *Didactica Bohemica*^B, *Ianua linguarum reserata*, *Informatorium scholae maternae*)
- 1641-1642 in Anglia acroases de scholis reformandis habuit (*Via lucis*)
- 1642-1648 in Suecia scholis a regis cancellario reformandis studuit (*Novissima linguarum methodus*, *De rerum humanarum emendatione consultatio catholica*)
- 1648-1651 Lesnae in Polonia
- 1651-1654 Sarospatakii in Transylvania gymnasii rector (*tres classes – vestibularis, ianualis, atrialis, Orbis sensualium pictus, Schola ludus*)
- 1654-1656 Lesnae in Polonia (*studia pansophica*), anno 1656 inter bellum Sueco-Polonum Lesnae incendium, inter quod plurima eius opera manu scripta combusta sunt
- 1656-1670 Amstelodami in Batavia *Opera didactica omnia* (numero XLIII) edidit, alia perfecit, die 15. m. Novembris anno 1670 obiit (sepultus in oppido nomine *Naarden*)



De Iohanne Amos Comenio (1592-1670) Bohuslaus Balbinus e S.I. (1621-1688)

JOANNES AMOS COMENIUS Moravus natione fuit, sed apud nos in Bohemia educatus; omnes hujus viri lucubrationes ab elegantia sermonis patrii et recondita eruditione laudantur. Evulgavit *Januam linguarum* primus jam ante annum 1616 (sic!) Latine, Germanice, Bohemice, isque liber ita placuit, ut vix ulla hodie Europae lingua nominari possit, qua *Comenius* non legatur. Post victoriam Pragensem, cum in Bohemia haeretici consistere vetarentur, in *Hollandiam* exulatum abiit, saepe tamen ut peregrinus patriam et Bohemiam revisebat; quam plurima edidit, nihil tamen unquam, quod *Catholicae fidei* adversaretur, ac mihi opera ejus legenti semper visus est ita comparatus scripsisse, ut nullam notare aut damnare religionem vellet. *Labyrinthus mundi et paradus animae* Bohemica lingua inscriptus et anno 1631 *Carolo Seniore* de *Zerotin* dedicatus; quantus ille vir fuerit, satis ostendit elocutione illimi, proprietate verborum, altitudine sensuum, descriptione inanitatis mundi, et eruditione rarissima, et intima laudatissimus, lectu dignissimus.



(BOHUSLAI BALBINI e S.I. *Bohemia docta, opus posthumum editum notisque illustratum a Raphaelae Ungar [...]*, pars I, Pragae, in typographia ad S. Clementem, 1776, pp. 314-315)

Praefanda

(ex *Novissima linguarum methodo*, in: *ODO II*, p. 1sqq.)

*Quâ nunquam via facta fuit contendere conor;
hoc est susceptum quod mihi tardat opus.*

15. *In simulamur autem certe, grammatici, dialectici, philosophi: quod altercandi subministraverimus instrumenta, artem, materiam. Et quod rixosa philosophia rixosam pepererit theologiam: haec autem infecerit politiae corpus, implicueritque publice odiis mutuis animos. Atque habet haec res ex eo colorem, quod **succus vitae politicae et religiosae ex institutione prima vitium trahat.***

*Sive autem ita sit, sive secus sive a nobis contagionem trahant reliqui ordines, sive a se: nostrum tamen est, cum male sic res agi videmus, **inclamare, dehortari, pacem suadere. Sed exemplô potius, quam verbis: ad verba pridem obsurduerunt omnes.***

20. *Placet vero de hac ipsa Linguarum methodo nostra in antecessum, obiter et summatim, quid ab illa expectandum veniat, monere aliquid. Non ut inventiones meas laudem, sed ut illas acrius examinandi omnimodas omnibus dem (atque id sciens volens) occasiones: postquam rem hanc sic urgendi mihi stat **propositum, ut in discentiae modos viasque inquirere ne desistamus, donec non restet quod quaeramus.***

22. *Eo namque rem deductam esse jam confido, ut linguas docentes et discentes molestiâ liberati, vere in **Scholis deliciari, perque ludum et jocum profectus pulcherrimos dare et accipere queant. Tam commodum ambages illae nostrae, et in quaerenda puerilium studiorum molliore via remorae, repererunt (DEO sit laus) exitum. Ut hoc etiam in exemplum sit, omnia nostra, mortalium, nonnisi gradatim ad aliquam perfectionem venire, nosque nonnisi saepius errando non errare discere posse.***

De Latinae linguae studio perfecte instituendo dissertatio didactica (in: *ODO I*, p. 348sqq.)

17. *Finis didacticae hujus disquisitionis est, ut **linguae Latinae** (quae postquam unius gentis propria esse desiit, communis Europaeorum gentium Mercurius scholisque inclusa eruditorum vinculum et eruditionis vehiculum facta est) **studium reddatur expeditius: h.e. facilius, celerius, fructuosius quam hactenus.***

18. *Nempe, ut non tanta cum docentium et discentium molestia, fastidio, nausea; nec tanto cum aetatis annorumque dispendio; nec denique tanta cum remora et jactura scientiarum realium, uti sit, ad linguae hujus usum veniatur: sed **ut cito et tuto, facile et jucunde in optimos auctores, illorumque auxilio in divinarum et humanarum rerum scientiam deducatur christiana juvenus.***

20 *Hoc ergo agendum est, ut **linguarum** (Latinae inprimis) **studium in res tendat: quo non in loquacitatem vanam, sed in sapientem eloquentiam, desinat.***

21-24 *Id quod nullâ ratione aliâ impetrabimus, quam si **perpetuo verba rebus connexa tradantur: quo unâ eâdem operâ mens et lingua semper erudiantur. Verba sine rebus, putamina sunt sine nucleo, vagina sine gladio, umbra sine corpore, corpus sine anima. Verborum proin copiâ, qui eruditionem metitur, quoties loquitur, nihil nisi loquitur, h. e. garrat. Sapientia rebus constat, non verbis: sapiensque et vere eruditus res cogitat, res loquitur, res agit.***

29 Hic siquidem *verus scholarum est, esseque debet finis, ut nos vitae praeparent, et negotiis vocationis quemlibet parem reddant: quod alia ratione fieri haud potest, quam ut alienis cogitatis, observatis, inventis, nostrum exsuscitemus genium et conformemus ingenium ad optima quaeque similiter* (quisque enim homo natus divinos in se fovet igniculos ipse quoque) **cogitandum, loquendum, agendum.**

31 Maneat ergo ***Latinam linguam non nisi rebus et cum rebus, docendam discendamque esse: nempe ex autoribus res tractantibus.***

36. **Discat ante balbutire infans quam loqui:** puer ante loqui, quam dicere: quia et Cicero (tantus alias docendi artifex) *negat se eum docere posse dicere, qui nesciat loqui.*

37. Et quomodo possit? Omnia non nisi gradatim eunt, quae sursum eunt.

47. Commodissimum autem videtur Latini studii gradus, seu aetates quattuor constitui: ut nempe sit

Aetas prima	<i>infantis, balbutiens,</i>	ubi discant loqui	<i>qualitercumque.</i>
secunda	<i>puerilis, adolescens,</i>		<i>proprie.</i>
tertia	<i>juvenilis, florida,</i>		<i>eleganter.</i>
quarta	<i>virilis, valida,</i>		<i>nervose et potenter.</i>

53 Ita erunt *quatuor distinctae quasi Latinitatis scholae, aut classes:* prima pro *balbutie*, secunda pro *loquela*, tertia pro *facundia*, quarta pro *eloquentia* Latina comparanda.

57 Libro pro classe prima nomen dedimus VESTIBULI; pro secunda JANUAE; pro tertia PALATII; pro quarta THESAURI Latinitatis.

IV Thesaurus Latinitatis

51 Quartus denique et supremus gradus erit, didicisse, quomodo sermo non ad luxuriam se diffundere et diluere; *sed potius accurato Verborum et sententiarum facto delectu contrahere se, et circa Res ita solidare, debeat, ut se, secumque RES, valide mentibus imprimat.*

92 Sequetur tandem ipse Latinitatis THESAURUS, *cujus res materiale erunt Autores Latini, omnem rerum et sermonis varietatem explicantes: physici, geographi, ethici, medici, politici, theologi, historici, oratores, poetae et c. veteres et novi, nati aut nascituri, quicumque aliquid insigniter utile adserunt, vel allaturi sunt, atque tersâ et purâ dictione utuntur.*

III Palatium (seu Atrium) Latinitatis

50 Tertius gradus sublimior etiam docebit *unam eandemque rem et rei conceptum, aliter atque aliter efferre, et veluti coloribus variis varie pingere.*

- | | |
|-------------------------|-----------------------|
| a) Palatium epistolicum | c) Palatium oratorium |
| b) Palatium historicum | d) Palatium poeticum |

II Ianua Latinitatis

49 Secundus gradus altior erit, *quasvis obvias res, omnesque usitatiores mentis conceptus, exprimere posse, vero, proprio, genuinoque sensu:* Sine ullo noxio in vocum significationibus errore, earundemque formationibus vitio.

I Vestibulum Latinitatis

48 Primus itaque et infimus gradus erit, *aliquid Latini intelligere, et qualitercumque efferre posse.* (Verum enim maneat oportet illud: *Quidquid incipit, rude est.* Item: *Qui nunquam male, nunquam bene, et: Nemo non errat, nisi qui quam saepissime erravit.*)

232 Cavebit ergo praeceptor ullam immiscere vernaculam vocem, quam non index Vestibuli habeat, et Latinam illi respondentem in Vestibulo mox quomodo Latine exprimenda sit. Nec periodos formabit bimembres aut trimembres, sed simplices: *Meminisse enim oportet balbutiem Latinitatis nunc formari, et cum balbutientibus esse balbutiendum.*

60 Ratio hujus methodi prima haec est, *quod mollius, melius, efficacius, exemplis docemus, quam praeceptis: (quippe exempla sensu intellectum formant, quod naturale est: praecepta intellectu sensum, quod contra naturam.)* Praecedat igitur oratio facta: eamque demum praecepta, quomodo facta sit, et ad imitationem ejus alia similiter fiat, illustrantia, sequantur. (NB. illustrantia dico: debent enim talia esse, quae lucem huic studio inferant, non tenebras; adjumentoque illi sint, non remorae; nec offerant ingeniis novam, ipso textu graviorem, luctam, sed luctam a verbis illatam solvant.)

Generalia pro praeceptoribus monita

- 151 *Docens non doceat quantum ipse docere potest, sed quantum discens capere.*
- 152 *Quidquid difficultatum et molestiae adferunt scholastica studia, eas humeris suis praeceptores sustineant: discipulis nihil praeter imitandi aviditatem, facilitatemque relinquentes.*
- 153 *Quidquid (ergo) a discipulis volunt sciri, id eis quâ maxime possunt perspicuitate ostendant, et velut coloribus vivis depicta ad oculum demonstrent; ut non possit non videre tam rem quam modum rei. Ita non poterunt non gaudere novâ luce et ad ulteriora semper extendere appetitum.*
- 154 *Quidquid (vero) a discipulis volunt fieri, id ipsi faciendo praemonstrent viam.*
- 155 *Nunquam (proinde) aliquid tam facile videtur, quod praeceptor non aliis atque aliis modis magis etiam perspicuum, imitatuque magis facile, reddere allabet.*
- 156 *Nunquam discipuli praegraventur discendorum mole...*
- 157 *Tria semper formanda sunt in discipulo: mens, manus et lingua: mens, ut rem quam discit, intelligat, manus, ut quod intelligit scripto exprimere discat, lingua, ut quod intelligit et scit promte edisserat.*
- 158 *Quae ita gradatim eunt: ut intelligere aliquid facillimum sit, imitari manu difficilius: difficillimum, sed perfectioni proximum linguâ efferre.*
- 161 *Attendant ergo Praeceptores, ut quidquid addocere feliciter volunt discipulos, per gradus istos inconfuse eant: confusionem aliâs parituri, sibi et ipsis.*
- 162 *Ubique autem praecedant exempla, ut materia; sequantur praecepta et regulae, ut forma.*
- 163 *Quidquid agendum occipitur, ne dimittitor nisi peractum.*
- 164 *Ergo, praeceptor nunquam plus materiaeumat, quam quantum eâdem horâ possit et proponi, et exponi, et exercitiis debitis intellectui et memoriae imprimi.*
- 165 *Prima rerum fundamenta accurate prorsus ponenda sunt, nisi totum quod superstruxeris, vacillare velis.*

166 *Ergo quidquid incipit docere praeceptor, operam dabit ut sit accuratum, eoque tam firmum, ut ei sequentia tuto inaedificari possint. Prius discendum est recte, quam cito.*

167 *Si quid perperam apprehensum, aut usurpatum est, cavendum ne radices agat, sed mox evellatur.*

168 *Ergo quidquid docetur, doceatur accurate, ne possit in errorem rapi.*

169 *Eadem diligentia in formandis et corrigendis styli exercitiis adhibenda est, ut ne quid minus recte a discipulo usurpatum, in exemplum illi aut regulam abeat.*

170 *Exemplar (proinde) quod ad imitationem proponitur, non nisi probum sit: imitatio vero tentetur non nisi praesente et inspectante magistro.*

171 *Longe vero maximum facilitatis compendium est (pro toto docentium et discentium coetu) si praeceptor neminem unum solum doceat, quidquid docet, sed omnes simul.* Aut si unum, occasione datâ, in omnium tamen conspectu: ut quidquid dicitur uni, prosit omnibus.

173 *Quod ut fiat, duo necessaria sunt. Primo non admitti in eandem classem discipulos vel inaequali profectu, vel tempore diverso,*

174 *Secundo, arte opus est ad reddendos discipulos usque adeo in ea quae fiunt attentos, ut nemo sit omnium cui non omnia quae traduntur solide innotescant, et usum ferant.*


175 *Cujus modi attentio excitari potest, et retineri, octuplici viâ.*

176 *Primo, si praeceptor operam det, ut semper afferat aliquid, quod et delectet et prosit; ita enim inescabuntur animi, ut semper cupide, et parata cum attentione, veniant.*

177 *Secundo, si sub initium cujusque operae, aut demulceantur animi, materiae proponendae commendatione, aut vellicentur quaestionibus motis sive de propositis jam, quo per cohaerentiam ad praesentem veniatur materiam, sive de proponendis, ut animadversâ eâ parte ignorantia suâ, ad excipiendam avidius rei declarationem accendantur.*

178 *Tertio, si magister, editiore consistens loco, oculos circumferat et neminem aliud agere quam in se vicissim defigere oculos permittat.*

179 *Quarto, si attentionem juvet, Sensibus quotquot potest rem quamlibet praesentando: nempe non auditui soli verbis prolatis, sed et visui picturis et tactui rem praesentem contrectandam sistendo et olfactui etc. quoties ejusmodi objecta explicanda sunt. Talis enim rerum ad sensus et sensuum ad res applicatio imaginativam perpetuo vellicat et rei praesenti adstringit, ut evagari et torpere vix ac ne vix quidem possit.*



- 180 *Quinto*, acuet discipulorum attentionem praeceptor, si inter operas subinde, sermone interrupto, dicat: *Tu aut tu, quid modo dixi? Repete hanc periodum! Tu, dic qua occasione huc ventum est?* et similia, pro cuiusque classis profectu. Si quis non attendisse fuerit deprehensus, increpetur, aut castigetur, illico: ita attentionis studium omnino acuetur.
- 181 *Similiter*, si unum aliquem interrogasti, et is haeret, ad secundum, tertium, decimum, trigesimum quemque transili et responsum posce, quaestione non repetita: omne id eo fine, ut quidquid uni dicitur, omnes attendere inque usum transferre allaborent.
- 182 *Fieri etiam potest, (septimo)* ut si quid unus vel alter ignoret, quaeratur ex tota turba: et tunc qui primo aut optime responderit, collaudetur in omnium conspectu, ut exemplum aemulationi serviat. Si quis aberraverit, corrigatur, erroris etiam occasione (ut ante dictum) detecta et revulsa. Incredibile quantum hoc sit futurum celerrimi profectus compendium.
- 183 *Tandem* lectione finitâ, copia fiat discipulis ipsis praeceptorem quidquid volunt rogandi: sive in lectione praesenti scrupulum nactus fuerit aliquis sive ante. (Privatae namque requisitiones non ferendae: publice praeceptorem consulat cuicumque opus est, ut omnia omnibus usui sint, tam quaesita quam responsa.) Si quis crebrius utilia moveat, collaudandus erit saepius, quo caeteris diligentiae exempla et stimuli non desint.
- 184 *Tale attentionis exercitium quotidianum proderit adolescentibus non in praesens solum, sed per totam vitam.* Adsueta siquidem annorum aliquot continuo usu id semper agere quod agitur, omnia semper facient animo praesenti, non expectatis alienis monitionibus aut instigationibus. Et tales si sint scholae, quid ni sit solertissimorum hominum uberrimus proventus?
- 185 Verum enim vero de his generalibus plura accuratioraque in Didactica nostra generali: nunc ad specialem VESTIBULI et JANUAE Didacticam, veniendum est, quam expediemus paucis.

Scholae pansophicae delineatio (in: *ODO III/1*, p. 10sq.)

VII Theologica

VI Politica

V Logica

IV Philosophica

III Atrialis

II Ianualis

I Vestibularis



- **cottidie senae horae**, mane ab hora VII ad X, dein post meridiem ab I usque ad V horam
- **nihil domi ediscendum**, omnia in scholis ipsis assidue exercendo ediscenda.

Iohannis Amos Comeniī VIA ad auctōrēs

(argūmentum ā Iohanne Odstrčilfk, acadēmiāe alumnō, ann. MMX inter conventum dē Monumentis viisq̄ tractātum, videātur www.litteraelatinae.eu/?p=77).

BREVITER: *Vestibulum* ostendet *linguae skeleton*, *Ianua corpus*, *Atrium vitam et colores*. Repraesentabitque *Vestibulum* *linguae analysis*, verba resoluta, seorsim spectata, *Janua synthesin*, verba inter se constructa, *Atrium syncrisin*, collationem scilicet rerum, verborum, phrasium, ad invicem, pro variā eorundem expressione ostendenda. (in: *ODO II*, p. 163/164, § 27)

- **Iānuae Latīnitātis Vestibulum – rudīmenta linguae Latīnae: Vestibulī textus, Repertōrium Vestibulāre, Rudīmenta grammaticae**

- *Omnia prīma sint optima!* (axioma CLXXVIII)

- **Prōpositum** (in: *ODO II*, p. 163-164, § 24): videātur ex. 1

- I. rērum ostendere summōs cardinēs (nātūrālī ōrdine),
- II. linguae docēre imās rādīcēs (i.e. vōcēs prīmītivās),
- III. variātiōnum sermōnis pōnere fundāmenta (i.e. rudīmenta grammaticae).

- rādīcēs verbōrum docentur (3500 verba);

- exercitātiōnēs saepe repetuntur ac praesertim ad verba ēdiscenda spectant.

- **VESTIBULĪ TEXTŪS ēditō prīma** (an. 1632, videatur *ODO I*, p. 303sq., § 4-9):

Selegi **vocabula usitatoria supra mille**: et redegī in sententiolas brevissimas, plerasque duarum dictionum. In primo quidem capite *nomina cum adnominibus*, sive (ut vocant) *substantiva cum adjectivis*, in secundo capite, *nomina cum verbis*, in tertio particulas indeclinabiles, *adverbia, praepositiones et numeralia*, digessi: *conjunctiones et interjectiones* usitatiores, passim sparsae sunt. Reliqua, de rebus, quae in scholā, in domo, in urbe sunt et fiunt (quantum quidem eorum primō gustu propinari posse visum fuit) capitibus IV, V, VI, locata sunt tandemque de virtutibus praeceptiunculae: quaedam capite VII.

Omnia vero usurpata sunt proprie, nihil tropice. Ordo vocum hic naturalis est (ut nomen praecedat, adnomen, vel verbum sequatur) alicubi tamen in Germanicae linguae gratiam, (quo parallele vox voci respondeat) transpositio levis facta est. Ex. gr. *Discite Latinam linguam*: pro *Linguam Latinam*. Substantiva enim naturā suā praecedunt, sed Germanorum usu adjectiva. Latinis autem et Polonis, quia aeque commode sequuntur, ut praecedunt, dandum aliquid existimavi Germanorum consuetudini, quae mutari aegre patitur.

Sed et hoc: Ellipses Latinas vitavi, ne pueris offenculo sint, ex. gr. im Frühling in Vere posui, quamvis praepositio Latina jucundius dissimuletur. Sic, *Ut ne ruat*, pro *ne ruat*. Putavi enim omni ratione infirmitati serviendum, et cum balbutientibus eo usque balbutiendum. Nec aliter decuit. **Quidquid enim incipit, informe est omni in re**: cur hic aliter velimus?

Jam de Vestibuli hujus usu monendum aliquid.

- I. Poterunt inde primi Latinitatis tirones **prompte legere, et legitime pronunciare, doceri**; praelecto nimirum, semel et iterum, per certa demensa, toto libello.

- II. Et ut vocum significationes paulatim innotescant, **praemittant semper vernaculam lectionem**, ex. gr. Kompt her Kinder: *Venite pueri* etc. Ita enim duplo facilius Latina haerebunt, si vernaculis subjungantur ubique.
- III. Percurso ita bis libello, **accedatur ad memoriae exercitationem**. Addiscant proinde singuli horis binas, vel ternas sententias, et sub horae finem memoriâ reddant. Adjungatur vero simul declinandi exercitium: cujus materiam Caput primum suppeditabit, modo observetur modus facilis: nempe, ut

1) **Primo substantivum solum sumatur.**

2) **cum adjectivo simul declinetur** ac primo quidem Declinationis ejusdem ab initio, primae (ut *Latina lingua pulchra, terra infima, nebula propinqua, area lata*, etc.) deinde secundae: (*Deus aeternus, mundus temporarius, coelum supremum* etc.) tum tertiae: (*homo mortalis, pondus grave*, etc.) sequentur postmodum declinationes mixtae: (*lingua elegans, casa humilis, vallis profunda, turris excelsa, medium facile, tempus opportunum, spiritus invisibilis, fructus maturus, res necessaria* etc.) quae a principio dissimulandae sunt.

3) **Declinent** autem non memoriter mandando, sed **usu**. Cui fini terminationes, in quas declinationum casus exeunt, in tabella subjunximus; quae Grammaticae vicem interim abunde supplebit.

4) **Ut autem, quid hîc fiat, melius intelligant, non casus nominentur** (*nominativus, genitivus, etc.*) **sed praemittantur quaestiunculae**. 1 Quid est hoc? Resp. *Lingua Latina*. Cujus linguae vox est, *Venite*? Resp. *Linguae Latinae*. 3 Cui rei dabis tempus? Resp. *Linguae Latinae*. 4 Quid discis? Resp. *Linguam Latinam*. 5 Voca eam. Resp. *ô Lingua Latina*. 6 Quâ linguâ cupis loqui? Resp. *Linguâ Latinâ*.

5) Haec, inquam, sic a principio: (Caus enim nominare, usu eorum nunc ita facilius perceptô, e Grammaticâ post discent.) **Generalior autem formula**, quae omnibus nominibus declinandis serviat, in utroque numerô, et citra quaestiones, talis sit:

1. Ecce, *Tabula nigra!*

1. Ecce duae *Tabulae nigrae!*

2. Pars *Tabulae nigrae*.

2. Pars duarum *Tabularum nigrarum*.

3. Addo partem *Tabulae nigrae*.

3. Addam aliquid duabus *Tabulis nigris*.

4. Video *Tabulam nigram*.

4. Video duas *Tabulas nigras*.

5. O tu *Tabula nigra!*

5. O duae *Tabulae nigrae!*

6. Video aliquid *in Tabula nigra*.

6. Video aliquid *in duabus Tabulis nigris*.

NB. Bonum autem erit, non solum ita voce vivâ declinari (tabellas declinationum inspiciendo) singula, sed et scribi.

6) Mandatis ergo memoriae primâ horâ sententias aliquot, sequenti mox in libellos, ad id paratos, **scribant exercitia sua**; nempe eorundem, quae didicerunt, eô, quô dictum est, modô, declinationes: quod futurorum styli exercitiorum praeludium erit.

Eôdem modô (in cap. II. et sequentibus) exercentur verborum conjugationes; quarum tabella quoque adjiciatur ad Vestibuli calcem, ne alio Grammaticae compendiô interim sit opus. Sed conjugationum duntaxat primae formae terminationes ponuntur: sufficit enim, has tirones primos didicisse, quos studiô celare debemus, si quid inspectu primo difficultatem minari possit. Atque eadem intentione supina quoque et gerundia, im et Infinitivos praeteriti et futuri

temporis, dissimulavimus: quia a vernacula consuetudine recedunt. Illis
addiscendis sat erit temporis, occasio vero longe opportunior, cum Januam fuerint
ingressi.

EXEMPLUM I – Herba crescit, folium viret.

CAP. II. *De Rerum actionibus et passionibus. Plantarum.*

- 74 **Herba crescit, Folium viret**, Flos floret.
- 75 Fructus maturescit: quem ut carpas, flecte ramum.
- 76 Sive sint poma, sive pyra, pruna, cerasa, mespila, etc.
- 77 Nux continet nucleum.
- 78 Cepa et allium olent graviter: Rosa suaviter: Canna inodora est.
- 79 Urtica urit, Carduus pungit.

EXEMPLUM II – mens, discere, suavis, crepare

CAP. II. *De Rerum actionibus et passionibus - mentis*

- 114 **Mens** cogitat semper aliquid; etiam in somno somniat (unde sunt somnia),

CAP. IV. *De rebus in schola*

- 257 Discipulus **discit**: non omnia simul, sed per partes,

- VESTIBULI TEXTŪS ēditio altera (1648):

Novissima linguarum methodus – Vestibuli linguarum novissima delineatio (an. 1648, in: *ODO II*, pp. 173-176)

4. In prima Vestibuli editione (Anno 1632.) selegeramus totius linguae vocabula faciliora, quorum tironibus praesens mox usus esse possit; circa illa potissimum, quae in schola vident, audiunt, agunt. Visique sumus non irrationabiliter egisse, progrediendo a facilibus ad difficiliora; a propioribus ad remotiora: qualiter fieri debere, ax. LXIII. et LXIX. ostendunt...

At nunc... *non partiale opus nunc agere aggredimur, sed totale: non aliquid de lingua Latina ostendere discipulis paramus, sed totam linguam. Totius itaque hujus aedificii ponenda sunt primo statim fundamenta: tam ampla, ut omnia ex his post educi, et tam solida, ut omnia suo robore stare, alienis fulcris non indigere possint.* Quod non aliter potuit, quam ponendo totius linguae radices...

Nunc radices solae et omnes. 5. Hoc igitur sequuti consilium *radices linguae solas* (voces nimirum primitivas a quibus alias omnes tanquam e stirpe rami pullulant) elegimus...

Structurae novissimi Vestibuli ratio: cur voces non in sententias redactae: 7. *Priori Vestibulo redegeram voces in sententias breves, ad usum structurae simul percipiendae.* At paulo post errorem animadverti, revocareque coepi... Nec infantes maternum sermonem a sententiis inchoant, sed brevissimis et facillimis vocabulis. Perinde igitur alienam linguam nunquam quisquam sine confusione, difficultate, haesitatione, a structura inchoabit: ut nos praxis illa annorum aliquot docuit. Sententiae enim (tametsi binis solum constant vocabulis) orationem jam formatam continent, quae resolutione eget. Quomodo autem compositum in simplicia resolvat, cui simplicia nondum nota sunt? Si interea, occasione hujus et illius sententiae, simplicia inquirenda et discenda sunt: ergo tamen constructionem interim dissimulari, et quasi seponi, oportet. Seponi autem non potest, quod discipulo in manu et oculis est. Ergo confusio, tricae, remorae non effugiuntur. Ergo ut effugi queant, *sententias* seponamus Januaeque servemus: hinc *vocabula* separatim consideranda et ad sequentis structurae usum praeparanda sunt.

Vocabula recensentur ordine bino, grammatico et reali. 8. *Vocabula ergo rerum in Vestibulo novissimo recensentur sigillatim: nec tamen ideo in congeriem, sed ordine bis artificioso, grammaticô et reali; nam secundum aspectum exteriorem ordo grammaticus est: quia capite primô recensentur nomina rerum substantiva, capite secundô adjectiva; tertio pronomina, quartô verba, quintô adverbia etc.* Et tamen ordo hic ordo simul rerum est intimus. Dum initio enumerantur, totum universum per generales suas classes lustrando et ut se quid *res ipsae* conspectui offert (quousque voces primitivae aut lenius deductae, sufficiunt) nominando **Capite I.** Tum consideramus *rerum modos* fundamentales: primaria scilicet *rerum adjuncta*, expressa nominibus *adjectivis*, **cap. II.** Inde *pronomina* attingimus **cap. III.** Dehinc transimus ad spectandos *rerum motus, actiones et passiones*: easque exprimimus suis verbis, **cap. IV.** Mox *actionum et passionum modos*, quos describunt adverbia, **cap. V.** Sequuntur *rerum et actionum circumstantiae*, quas determinant praepositiones, **cap. VI.** Tum earundem *rerum et actionum cohaerentiae*, expressae voculis, quas conjunctiones vocant, **Cap. VII.** Tandem attingimus *rerum et verborum multiplicationem et juncturas*, **Cap. VIII.** Ita per cardines suos resolvitur tota *rerum et verborum* compages.

EXEMPLUM I – Herba crescit, folium viret. (in: *ODO III/1*, pp. 134 sqq.)

II *Divisio Rerum.*

82. *STIRPS, seu planta est: HERBA; FRUTEX, ARBOR.*

84. *In stipite: cortex, liber, medulla. in Ramo: frons, folium, flos, fructus.*

162. *In prato crescit: foenum et cordum: ad quae sunt, secula, rastrum, furca.*

V. *Motus Rerum.*

382. *Plantae est: vivere et crescere (olescere,) virere, aut flaccere (marcere), sursum niti, deorsum vergere.*

383. *Floris est: hiscere, et olere id est, fragrare, aut foetere (sordere.)...*

EXEMPLUM II – mens, discere, suavis, crepare (in: *ODO III/1*, pp. 134 sqq.)

II *Divisio Rerum.*

148. *In MENTE est, Ratio, Voluntas, Animus.*

III. *Modi Rerum.*

336. *Odor in Naribus est, Suavis aut teter.*

V. *Motus Rerum. Actiones Hominis, primo per membra Corporis.*

455. *Praeceptor debet Docere, Monere, Hortari: Exercere, Arguere, Castigare.*

456. *Discipulus, Discere, Obedire, Attendere; magistrum Imitari, condiscipulos AEmulari. Item Scribere, Legere, recitare, rePetere, male scripta Delere, et sic proficere, aut Vapulare.*

RUDIMENTA GRAMMATICAE

CAP. IV. *De PRONOMINE.*

43. *EGO sum. Gen. pars Mei. Dat. Da Mihi. Acc. vide Me. Abl. Veni. Mecum. Plur. Nos sumus. Gen. pars Nostrî (vel Nostrûm) Dat. Date nobis. Accusat. Videte nos. Abl. venite nobiscum.*

CAP. V. *De VERBO.*

52. *Secundo variatur Verbum, per tres personas: ut*

Ego humecto. Tu humectas. Ille humectat. [*Et sic Verbum dicitur, primae vel secundae vel tertiae personae.*]

54. Quarto, per tempora sex: *nempe*

(1) Praesens; *nunc* Humecto.

(2) Praeteriens: *tunc* Humectabam.

(3) Praeteritum: *jam* Humectavi.

(4) Antepraeteritum: *jam tum* Humectaveram.

(5) Futurum: *postea* Humectabo.

(6) Futuro-praeteritum: *cum* Humectavero. [*Et sic Verbum est Temporis praesentis, aut praetereuntis, aut praeteriti, aut antepraeteriti, aut futuri, aut futuro praeteriti.*]

CAP. X. De MULTIPLICATIONE VOCUM: Derivando et Componendo.

118. Vox est aut primitiva, a qua aliae derivantur, sicut a radice rami, ut: coelum, altus, curro et pleraque in Vestibulo.

119. Aut est vox derivata, quae ab aliqua primitiva venit: ut Coel-estis, Alt-itudo, Cur-sus: (Qualia et in Vestibulo occurrunt, ut § 43, 48, 53, 64 etc.)

120. Aut est vox composita, ex duabus (vel tribus) simplicibus. ut: Coeli-cola (qui Coelum incolit) Alti-sonans: Circum-cur-ro etc. (Qualia in Vestibulo non multa sunt. Vide tamen § 44, 55, 104, 164, 165, 308 etc.)

121. Quomodo autem voces (per derivationem et compositionem) multiplicentur, in Lexico Ianuali videbis.

REPERTORIUM VESTIBULARE sive LEXICI Latini Rudimentum (in: ODO III/1, pp. 175 sqq.)

EX. I – Herba crescit, folium viret.

Cre-scere, (vi, tum.) 382

Flo-s, ris, m. 84, 383

Foli-um, i, n. 84

Herb-a, ae, f. 82

Virere. 382

EX. II – mens, discere, suavis, crepare

Discere, (didici, -) 456

Men-s, tis, f. 148

Svav-is, is, e. 336

ORDO TEMPORUM (cottidie una hora per IX/X menses, ex Hypomnematis ibidem):

- 1) II menses (cottidie una pagella et 4 horae) TEXTUS VERNACULUS PERTRACTANDUS
- 2) IV menses (cottidie quattuor lineae) TEXTUS LATINUS PERTRACTANDUS
- 3) III menses (192 horae) RUDIMENTA GRAMMATICAE
- 4) II hebdomades LEXICI LECTIO

Limites denique sic jam in *Januae* fabrica erunt inconfusi: ut **textus** rerum nomenclaturam, **lexicon** vocum significationes, **grammatica** sermonis structuras expediant. (*Nov. meth.* §15, ODO 2, pp. 178)

- VESTIBULUM VS. ORBIS SĒNSUĀLIUM PICTUS

- in *Vestibulō* māior cōpia verbōrum, quae facile exprimuntur;
- in *Orbe pictō* sententiae brevēs et vocābula imāginibus illūstrāta.
- *Orbis sēns. pictus* cōnsiderātus ut *Vestibulī* et *Iānuae* lūcidārium (in: ODO III, p. 802/803)

JOH. AMOS COMMENII
O R B I S
SENSUALEUM
P I C T U S :
HOC EST,
*Omnium fundamentalium in Mundo Rerum,
& in vita Aliorum,
Fidura & Nomenclatura.*

JOH. AMOS COMMENII S.
VISIBLE
W O R L D :
O R, A

*Picture and Nomenclature of all the chief Things
that are in the world; and of Mens Employments therein.*
Written by the Author in Latin and High-
Dutch (being one of his last Essays, and the most
suitable to Childrens capacities of any that he hath
hitherto made) and translated into English,

By **CHARLES HOOLE, M.A.**

For the Use of Young Latin-Scholars.
Nihil est in intellectu, quod non prius fuit in sensu. Arist.

LONDON,
Printed by J. R. for Abel Smith, at the Union: at the
West end of St. Paul's Church-yard. 1689.

The Air.

VI.

Aer.



A cool Air 1,
breatheth gently.
The Wind 2.
bloweth strongly.
A Storm 3.
throweth down Trees.
A Whirl-wind 4.
turneth it self in a round
compass.
A wind under ground 5.
causeth an Earthquake.
An Earthquake causeth
gapings of the Earth, (and
falls of Houses.) 6.

Aura 1.
spirat leniter.
Vetus 2.
flar validè.
Procella 3.
sternit Arbores.
Turbo 4.
se agit in gyrum.
Ventus subterraneus 5.
excitat Terræ-motum.
Terræ-motus facit
Labe (ruinas.) 6.


	<i>Cornix cornicatur, k k</i> The Crow crieth.	A a
	<i>Agnus balat. b b b b</i> The Lamb blatteth.	B b
	<i>Cicada stridet. c c c</i> The Grasshopper chirpeth.	C c
	<i>Upupa dicit. d d d d</i> The Whoopoo saith.	D d
	<i>Infans ejulat. e e e e</i> The Infant cryeth.	E e
	<i>Ventus flat. f f f f</i> The Wind bloweth.	F f
	<i>Anser pingrit. g g g g</i> The Goose gagleth.	G g
	<i>Oshalat. h h h h h h</i> The mouth breatheth out.	H h
	<i>Mus murat. i i i i i i</i> The Mouse chirpeth.	I i
	<i>Anas cecruiat. k k k k k k</i> The Duck quaketh.	K k
	<i>Lupus ululat. l l l l l l</i> The Wolf howleth.	L l
	<i>Ursus marmurat. m m m m m m</i> The Bear grumbleth.	M m

B 2

The Earth.

IX.

Terra.



In the Earth are
high Mountains, 1.
Deep Valleys, 2.
Hills rising, 3.
Hollow Caves, 4.
Plain Fields, 5.
Shady Woods, 6.

In Terra sunt
Montes 1. alti,
Valles 2. profundæ,
Colles 3. elevati,
Spelunca 4. cavæ,
Campi 5. plani,
Sylva 6. opacæ.

- **Pars II: Iānuā Latīnitātis – Integrae sententiae: Iānuae textus, Lexicon Iānuāle, Grammatica Iānuālis**

- **Prōpositum** (in: *ODO II*, p. 163-164, § 25): videātur ex. **2ab**

- I. Plēniōrem rērum dētegere sēriem, nātīvō vultū;
- II. Vōcum tōtīus Linguae prōdūcere exercitum nātīvō singulārum significātū;
- III. Flexiōnum omnium, quās sermō Latīnus requīrit, ostendere classēs. Eōque animōs praeparāre ad prōmptē iam capiendum omnem Ēlegantiārum apparātum, h. e. aditum reclūdere in ĀTRIUM.

- cōpia verbōrum compositīs augētur;
- syntaxis est iam integra et ampla;
- exstat etiam versiō Latīnō-Graeca et multae versiōnēs Latīnō-vernāculae;
- 100 capitula, 1000 paragraphī.

- **JANVA LINGVARUM RESERATA** (anno 1631, in: *ODO I*, p. 255/256 sqq.)

XII. DE HERBIS (p. 259)

125 Herba cauli vel Scapo excrescens (Ocymum, Cucumeres, Pepones, Melones, Cucurbitae, ocysime crescunt) emoritur quotannis: praeter Sedum, (*semper vivum*) et Vincam pervincam, quae perennant. 126 Rapum, Napus, Pastinaca, (Carota) Siser, Raphanus major, Raphanus minor, Brassica, Spinacia, Crambe, Atriplex, Scolymus, Petroselinum, Nasturtium, Olera vocantur. 127 Fruges sunt, quae in Culmum (*calamum*) surgunt, et spicas, (sive aristatas, sive muticas) ferunt, Glumis autem granum fovent, ut Oryza...

XXVIII. DE MENTE (p. 269, § 353-359)

Mens in disquisitione rerum Rationem consulit, quia Intellectum invenire, Animus ei est. Cui egregium est acumen, cito rem perspicit, hebetes tardiusculi sunt. Qui multa inquit, est Industrius; qui noscit, Gnarus; qui excogitat, Solers; qui notitiam usu firmavit, Expertus; qui uti novit, Prudens; qui utitur, Sapiens; qui abutitur, Astutus et Fraudulentus. Contrā, qui nihil curat, torpidus est: qui nihil percipit, stupidus. Vera rei apprehensio, Scientia est; falsa, Error; debilis, Opinio; ex conjecturis veniens, Suspicio; nutans, Dubitatio; impedita, Hallucinatio; nulla, Ignoratio. Cum alterius relationi credimus, Fides est; cum verisimilibus rationibus cedimus, Persuasio; cum sufficienti demonstrationi, Assensus. Quorum rationem non intelligimus, miramur; quae pernoscere volupe est, rimamur.

- **JANVA LINGVARUM NOVISSIMA** (anno 1648, sumptum ex: Johannis Amos Comenii Janua linguarum trilinguis novissime ab ipso authore recognita, aucta, emendata, adjunctis metaphrasi Graeca et Anglica versione, Londini, ex officina Rogeri Danielis, 1662, pp. 18-19, 61-62 et in: *ODO III/3* (1657), p. 483/484, 501/502)

3. Omnino igitur plenius, verius, accuratius, quam ante, Rerum syntagma habebitur, et *revera universi quaedam epitome scientiarumque et artium encyclopaediola, seu seminarium*. Ubi discentibus apparere incipiet, quid unaquaeque Res in seipsa sit; (definiuntur enim pleraeque) quibus constet partibus et quid in toto aut per partes agat vel patiatur et quos admittat defectus et in quae degenerare soleat monstra, etc.

10. Quanquam autem sic nobis novissimae Januae textus **rebus et verbis, duplo fere crevit**, capitum tamen et periodorum numerum (centenarium et millenarium) retinere placuit....

12. Haec de aucto Januae textu, quantum ad materialia. *Ad fabricam ejusdem spectat tum melior universi analysis... tum lucidior ubique rerum expressio.*

13 ...Nunc addo: posse omnem vocum, phrasium, sententiarum, periodorumque varietatem (citra tamen elegantiae gradum) sic in contextum redigi, ut omnium constructionum exempla in ipso Januae textu reperiantur, nihilque adeo aliud Januae Textus sit, quam **grammatica concreta omnium etymologicarum, syntacticarum, prosodicarum et orthographicarum regularum** (imo et exceptionum, adeoque anomaliarum) **paradigma perpetuum**. Id quod jam nos quoque assequutos spero maximò linguam discentium usu: qui sic regulas puri sermonis non chartis duntaxat inscriptas, sed linguae insculptas habebunt.

16. Unicum superest de textu Januae monendum: **Latinum eum duntaxat a nobis dari, vernaculam versionem excludi, utque perpetuo excludatur** (ab editionibus puta, quae scholarum usibus parantur) **seu edicere, seu supplicare**. (Növissima linguarum methodus, in: ODO II, p. 182, 185, 187).

XII. DE HERBIS (*Herba quid et quotuplex 84., Alimentariae 85., Gramina 86., Olera 87., quae dant vel folia 88., vel radices 89., vel fructum 90., Fruges 91., Frumenta 92., Legumina 93., Additamenta frugum 94., Herbae condimentariae 95., Coronariae 96., Medicamentosae 97., Venenatae 98., Aquaticae 99.*)

84. *Herba innititur cauli suo* (simplici vel multiplici, unde unicaulis vel multicaulis dicitur) est vel *alimentaria*, vel *coronaria*, vel *medicamentaria*.

85. Ex alimentariis sunt (nec enim omnes esitamus) primo *sponte nascens gramen*, viridans solum, non sementans: dehinc *sativa, olera, et fruges*, ferenia semen et florem.

86. Gramineae herbae sunt: *muscus utilis opitulandis rimis, carex molesta faenisecis acie sua, centinodium (polygonum) serpens humi: trifolium, aliaque infinita...*

XXVIII. MENS CUM AFFECTIBUS ET CONSCIENTIA

Mens quid 274. ratio, voluntas, animus 275. Intelligere, velle, conari 276. Gradus intelligentiae 277. Inscitiae 278. Intellectusque et fidei 279. Scientia, error, opinio, etc. 280. Voluntas bona per se 281. mala per accidens 282. Affectus animi circa objecta bona 283. et mala 284. Compassio 285. Conscientia 286.

274 Quia sensus percipiunt praesentia tantum objecta (et quidem superficiarie,) data est MENS; hoc est *vis* ad absentia quoque penetrandi, abstrusa indagandi, futura praesagiendi cum *arbitrio* petendi bona agnita et facultate audendi concupita.

275 Vocamus vim illam penetrativam, *rationem*, quae rerum intellectum quaerit vim boni appetitivam dicimus *voluntatem*, quae rerum electionem exposcit, vim consecrandi desiderata nuncupamus *animum*, qui rerum potestatem ambit...

SYLVA LATINAE LINGVAE *vocum derivatarum copiam explicans* sive LEXICON JANUALE (in: ODO II, p. 219/220sqq.)

a) Bona:

- omnia verba ünīus rādīcis collāta;
- fictae sententiae, quae memoriae auxiliō sint.

b) Difficultātēs:

- verba ā Comēniō ficta vel rārō ūsūrpatā inveniuntur.

33. DISC-ere *stude* -ipule *sub* -iplina, *bonas* -iplinas, *h. e. scientias* -iplinabiles: *donec eas e-as et per-as. Potes autem omnia con-ere facilius, inter Con-ipulos, quam solus. Cave tantum, ne quid boni de-as quod praedidiceras semel; ad-e potius quotidie aliquid novi.*

241. CREP-are *est sonum rudem edere quomodo Auriga* -at *flagello*: et -at *currus per lapides tractus*: et- *ant fores rusticorum, dum aperiuntur*: et -at *quod frangitur*: et- at *quod dissilit*: et -at *sua jactator, dum nimis praedicat, licet interdum vix* -itu *digna*: sed -itare *incivile est*. -undia *reliquenda sunt pueris, aut de-itis senibus*: -itaculum *adhibendum est in horto, ad abigendum aves*. Con-are *digitis, jocosum est*: In-are *aliquem verbis, serium*: Dis-are *ab aliis bonum vel malum, prouti res fuerit.*

63. MEN-S (tis) *vis animae rationalis, quâ cogitamus, 2 cogitatio ipsa*. -isci, *cogitare, inusitatum. Sed* -tio, com-tum, *comminisci, reminisci, etc. quorum usum sic disce. Mentem sanam da Deus!* a-tes (de-tes) *misere per a-tiam de-tiunt, quicquid vident vel audiunt, de-tat eos: praesertim si sunt naturâ vehe-tes. In cujuscunque rei -tionem (levem commemorationem) incidunt, absurda comminiscuntur, et quaevis com-titia com-ta, pro vero habent. Praeterita Reminisc-i possunt, sed monstrôsâ -entiâ. At vero, qui aliquid ingeniose com-tus est, refert sua com-ta in com-taria (vel -os) cum novis com-tationibus.*

310. SVAV-ia (*jucunda gustu*) *afficiunt nos* -iter: in-ibus *nulla inest* -itas. *Mater infanti dans -ia (oscula) -iatur illum, et tantum non dis-iatur.*

JANUAE LINGVAE NOVISSIMAE CLAVIS GRAMMATICA (in: ODO II, p. 309/310)

IIIX. PRONOMEN *quid, et quotuplex.*

44. *Pronomen est vocula, sine Nomine rem denotans, (ut Matth. XVI. 18.) EGO dico TIBI, h. e. CHRISTVS Petro. CHRISTUS enim alloquitur Petrum.*

[NB. Talibus oculis utimur, dum Nomen rei, de qua loquimur (1) aut nullum est, aut nobis ignotum, aut quia non succurrit: (2) vel quia rem praesentem sic brevius expedire possumus: (3) vel quia jam nominata est, Nomenque iterari foret taediosum.]

45. Pronomina (Latina) sunt 20. (*) sic redacta in contextum: QUID hîc? aut QVIS? EGO, TV, IS: IPSE, non alius; QVISQVE SVI amans. HIC, praesens est; ISTE, remotior, ILLE, remotissimus. SVVM cuique pulchrum: MEVM mihi, TVVM tibi, SVVM sibi; NOSTRVM nobis, VESTRVM vobis. CVIAS est, QVI adstat? NOSTRÂS an VESTRÂS?

[Addunt, alii, VTER, ALTER, NEVTER, VNVS, VLLVS, NVLLVS, SOLVS, ALIQVIS, RELIQVVS etc.]

46. Ex usu dividuntur in classes sex. Sunt enim.

Pronomina. 1. *Interrogativa*: Qvis? (Wer) Quid? (was) Qvis, quae, quod? [Welcher]

Pronomina. 2. *Demonstrativa*: Ego, Tu, Ille, Iste, Hic, Ipse.

Pronomina. 3. *Relativa*, ad prius dictum se referentia: Is, Qvi.

Pronomina. 4. *Reciproca* (ad eandem personam sensum reflectentia): SVI, se, sibi.

Pronomina. 5. *Possessiva*: Meus, Tuus, Suus, Noster, Vester.

Pronomina. 6. *Gentilia* (gentem, patriam, sectam, significantia:) ut, *Cujas est? Nostrâs, Vestrâs.*

47. *Composita Pronomina* sunt, Egomet, Tumet, Ego-ipse, Tuipse, Is ipse: Ille-ego, Isipsus, Idem, Qvisqvis etc.

48. *Contracta* sunt, *Illic, et Ist hic. (ex Ille et Hic: Iste et Hic.)*

Io. A. Comenii SCHOLA LVDVS, h.e. *Januae linguarum praxis comica*
(ed. ann. 1657, in: *ODO III/4*, p. 830sqq.)

Schola, ex vērō suō fine, nihil esse dēbet nisi Hūmānitātis officīna, et Vītae praelūdium: ubi omnia, quae Hominem faciunt hominem, tractentur. Et quidem Instrūmentīs, Instrūmentōrumque ūsū, ita comparātīs, ut quam certō Opificēs Mēchanicī quicquid in officīnam admittunt, et ad ēlabōrandum suscipiunt, ēlabōrātum prōdit: ita Ingenia in Scholae officīnam admissa, certō expolitā prōdeant. Exercitiīs ergō practicīs fervēre hīc necesse est, aequē ut ibi, omnia: quia sōlus ūsus facit artificēs. Atque sī vītae praelūdium est Schola, nōn est necesse sevērārum Vītae Āctiōnum praeexercitāmenta sevēra esse: quae in aetātem puerīlem nōn cadunt. Praelūdīa esse dēbent, ut suāviter tum susceptum continuārī queant. Quā in sē sī prōcessuī nātūrae, gradātō, sēsē ā minōribus ad majōra, ab humiliōribus ad altiōra, ā lūdīcrīs dēnique ad sēria, ēlevantī, obsecundāmus, multum lūcrāmur, experiētiā teste. Quod ut pateat, repetam hīc quae Vōbīs jam initiō, ad vōs dēlātus (in Scholae Pansophicae Dēlīneātiōne) scripsī, hīs verbīs:

Āctiōnēs scēnicās et theatrālēs, comoediās praesertim, nōn ignōrāmus ā quibusdam scholīs arcērī: retinērī tamen eās et (ubi nūllae sunt) intrōdūcī suādent bonae ratiōnēs. Prīmum enim per āctiōnēs id genus quasi pūblicās in spectātōrum theātrō exercitātur hūmānum ingenium ad alacritātem potentius quam id ūllīs admonitiōnibus aut etiam tōtā disciplīnae vī obtinērī queat. Unde fit, ut rēs memorābilēs quaecunq̄e facilius memoriae imprimantur ad vīvum sīc repraesentātae quam audītae tantum aut lēctae: faciliusque sīc addiscantur multī versūs atque sententiae integrīve librī quam sēparātā macerātiōne longē pauciōrēs...

- 1) Prīmum in lūsū quod oblectat, mōtum esse dīcō.
 - 2) Secunda in lūsū oblectātiō ā spontaneitāte est.
 - 3) Tertia in lūsū oblectātiō ā societāte est.
 - 4) Quārtō iūcunditātem lūdō praestat concertātiō seu dē victōriā certāmen.
 - 5) Quīntum quod lūdum facit iūcundum ōrdō est quem collūsōrēs fixīs inter sē lēgibus certīs observāre tenentur.
 - 6) Sextum quod lūdīcrīs amābilitātem conciliat est facilis addiscendī ea modus, merīs cōnstāns exemplīs et imitātiōne, regulīs vērō aut nūllīs aut paucīs, occāsiōnālīter tantum interspersīs.
 - 7) Tandem lūsus remissiōnem quoque amat.
- I. Fōrmat prīmum *Mentēs ad Sapientiam*: omnium quae Mundus habet rērum, et quae sub puerīlis aetātis cognitiōnem cadunt, vīvīs omnium repraesentātiōnibus Instillāns, nōtitiam.
 - II. Fōrmat dehinc linguam ad ūniversālem quasi Latīnī sermōnis eumque pūrum et fluidum ūsum.

JANUAE LINGVARUM PRAXEOS THEATRICAЕ Pars I. in qua res mundi majoris, quae naturaliter fiunt, ordine in scenam prodeuntur. Psalm 46. v. 8. Venite, Videte Opera Domini. (in: *ODO III/4*, p. 851/852)

[NB. Hi Rerum naturalium ludi agi commode non possunt hieme, si ad vivum exhiberi debent herbae, flores, spicu, siliqua, fructus arborum, muscae, hirundines aliaque hieme mortua.]

Ludus hic Actus habet V: Scenas XXI: Personas 52.

ACTUS IV. SCENA II. Graminius. Oluscus. Frugijs. Florus. Iatrus.

Plin. Quinam vos estis, tantum agmen? *Gram.* Botanici sumus, rei Herbanae studiosi. *Erat.* Quid de herbis narratis?

Gram. Herba nititur caule suo, simplici vel multiplici: unde unicaulis vel multicaulis dicitur.

Plin. Quomodo alias dividuntur? *Gram.* In Alimentarias, Coronarias, et Medicamentarias.

Plin. Quae sunt Alimentariae? *Gram.* Quas esitant Animalia, aut homines. Ut sunt, primo sponte nascens *Gramen*, viridans solum, non sementans: deinde sativae herbae, *Olera et Fruges*, ferentes florem et semen.

Plin. Gramen quid est? *Gram.* Viride pecorum pabulum, variis herbis constans. Inter quas sunt *Muscus* (rudimentum fere Graminis, oppilandis rimis aptum: *Centinodium*, juxta vias humi serpens; *Trifolium*; optimum Vaccis dans pastum; (ostendantur omnia, recens evulsa.) *Carex* acie suâ foenisecis molesta: et aliae infinitae.

De Oleribus narra tu Olusce.

Olus. Olera nobis comesturam praebent aut *Folia*, aut *Radices*, aut *Fructus* oleraceos...

ADDENDUM IANUALEM GRAMMATICAM

(ex *Novissima linguarum methodo*, in: *ODO II*, p. 195)

Hinc Grammaticam necesse fuit scribi Philosophicum.

41. *Hos ut obtineremus fines, necesse habuimus rem a fundamentis ordiri grammaticamque scribere philosophicam: cujus leges e logica fluant; sicuti leges logicae e rebus ipsis, cum verborum bases sint cogitationes, cogitationum autem res ipsae (per Capitis II. §13.)*

Totô quasi genere novum.

42. *Nobis ergo methodi leges quam accurate licuit sequutis, grammatica enata est totô quasi genere nova: quippe quae aliter partes orationis dividit; aliter vocum species recenset; aliter nomina, verba, praepositiones, conjunctiones et definit et in classes redigit, aliter denique syntaxin tradit; nempe vocum in phrases, phrasium in sententias, sententiarum in periodos etc. Quae res non tam regulas auget, quam lucem: ad regulas enim paucissimas reducit omnia, ut plana fiant omnia.*

Pars III: Ātrium Latīnitātis – stilus ēlegāns: Ātrīi textus, Lexicon Ātriāle, Ars orātōria sive Grammatica Ēlegāns

- **Prōpositum** (in: *ODO II*, p. 163/164, § 26): videātur ex. **3ab**
- I. Rērum ostendere classēs eāsdem, mūtātō habitū (variā scilicet rērum trānsnōminātiōne);
 - II. Vōcum recēnsere trānsfōrmātiōnēs;
 - III. De Linguā omnis generis Ēlegantiīs trādere praecepta, dētegereque arcānum cuiusque linguae genium eōque jam immediātē in Authōrēs veniendī, et inoffēnsē omnia permeandī, aperīre viam.
- Exercētur praesertim stilus discipulōrum, arsque bene ēleganterque scribendī;
- Gradus tertius, suprēmus, post quem statim ad legendōs auctōrēs aggrediendum;
- Īnsunt multa prōverbia et versūs quoque;
- 100 capitula, 1000 paragraphī;
- Dispositiō rērum est eadem atque in Iānuā Latīnitātis.
- **LATINAE LINGVAE ATRIUM rerum historiam elegantiori exornatam stilo exhibens** (in: *ODO III/3*, p. 540 sqq.)

XII. HERBARUM SYLVA (p. 565/568, § 84-99)

84 Cauli suo nixam dum vides Herbam (seu fuerit unicalis seu multicaulis) *Victualis* ne sit, an *Coronaria*, vel *medicinalis*, cogitabis.

85 Inter victuales (nam non omnes vescendo sunt) numerabis sponte naturae proveniens *Gramen*, virore solum, non semine, conspicuum: tum qvae hominum curā seminatae cum flore semina edunt, *Olera*, *Frugesque*.

86 Graminei generis herbae, sunt *Muscus*, herbae nationis initiamentum; et *Carex*, incaute prensantibus manum incidens; et *Polygonum*, sangvinalis herba, humi se ad vias explicans; *Trifolium*, et aliae qvas recensere infinitum foret...

XXVIII. MENS, AFFECTUS, CONSCIENTIA (p. 589/590sq., § 274-286)

274 Jam nobis hospes comesque Corporis, substantia in nobis caelestibus Mentibus cognata, Vivum Dei habitaculum, Omniscientiaeque, Omnivolentiae, et Omnipotentiae aeternae imago, mori quoque nescia, spectanda venit, ANIMA: qvam in vim omnium intellectricem, electricem, et effectricem divisam sublimiores Philosophi MENTEM appellarunt.

275 *Intellectus* ergo quid est? *Extracta ad Animae arcem specula*. In qva *speculator* ipsa rationalis Anima est. *Fenestrae*, per qvas prospectat, *Sensus* sunt. *Oculi* qvibus prospicit, ingenii sagacitas est. *Perspicillum*, quod ut longius prospiciat et acutius perspiciat adhibet, Ratio est. *Pupilla* oculi, conspecta excipiens, *Judicium*. *Imagines rerum* iudicio exceptae, sunt Memoria intellectualis. *Voluntas* autem quid est? In Animae arce residens regina. *Animus* vero, seu *Facultates activae*, quid? *Satellites* ad arcis portas excubantes, rerum exsequutores.

- **LEXICON ATRIALE Latino-Latinum, simplices et nativas rerum nomenclationes è lanua linguae Latinae jam notas in elegantes variè commutare docens** (Amstelodami, apud Joannem Janssonium, 1557).

✘ Bona:

- + multōs dīcendae ūnūs reī modōs facile ibi inveniēs;
- + sat magna cōpia verbōrum;
- + sententiae dēprōmptae à scrīptoribus probātīs;

✘ Difficultātēs

- + sententiae sūmptae tantum nōmine auctōris signātae;
- + rārō verba, quae Lexicō lānuālī insint, inveniuntur;
- + in google.books adhuc tantum versio, cuius litterae nōn optimē cernuntur, reperitur.

✘ Ad quid est ūtile lexicon?

- + ad imitātiōnēs variātiōnēsque faciendās;
- + ad stilum exercendum augendamque cōpiam verbōrum.

Discere. Dare studium alicui rei. Erudiri in scholis, *Quint.* Dare operam Praeceptorī, *Suet.* Studere literas, literis, artibus. Imbuere se studiis literarum. Subdoceri alicujus labore. Accipere ab aliquo disciplinam. Adhaerescere ad aliquam disciplinam, *Cic.* Perdiscere literas, *Plin.* Adjungere animum ad aliquod studium, *Ter.* Uti aliquo magistro, *Cic.* Vid. *Studere.*

Mens. Animus, *Tac.* Mens animi vigilat, *Lucr.*

Mente alienari. Alienari sensibus. Discedere à se, à sensibus. Effluit mihi mens. Vis eum quaedam à sensu mentis abstraxit. Non constat mente, linguā, oratione, *Cic.* Sensibus ereptis mens excidit, *Catul.* Labi mente, *Cels.* Labi cerebro, *Plaut.* Exire de potestate, *Cicer.* Exire à se, *Petron.*

Mentis alienatio. Diminutio mentis, *Suet.* Stupor hominis, cordis, *Cic.*

Mentis compos. Compos animo. Sanus homo. Sanae mentis homo. Mentis suae est. Integer animi. Integrā mente caeterisque sensibus. Constat mente, *Cicer.* Constat auribus, oculis, *Liv.* Constat mens in aliquo. Compos sui, *Cels.* Integer mentis. Penes te es? *Hor.* Sanus sim, ante insaniam. Fac apud te sis, *Ter.* Mentis sanae compos, *Ovid.*

Suaviari, etc. vid. *Osculari,* etc.

Suavis. Mellitus: melliti oculi, *Catul.* Mellicus sonus, *Lucr.* Iucundè tangit sensus. Bellè tangunt aures. Distinctus vario lepore, *Id.* Iucundum auditu. Iucunda ad audiendum verba. Perjucundae literae. Dulcissima epistola, *Cic.* Volentia plebi facere, *Salust.* Voluptabilis adventus, *Plaut.* Nectareus. Nectar spirat. Nectaris flos.

Suavitas. Gratias, Lepòr, Lepos dicendi, Illecebra, venustas, *Cic.* Venus, *Quint.* Amabilitas, Suavitudo, *Plaut.* Amantia, *Id.* Lubentia et gratia convivarum. *Gell.*

Suaviter. Suavè olens, suavè rubens, *Virg.* Graveolens, *Apul.,* Amabiliter ludit, *Hor.*

- GRAMMATICAE ELEGANTIS CAP. III. (in: *ODO III/3*, p. 459/460sqq.)

PRONOMINUM Idiotismi (p. 463/464, § 29-34)

29 Pro interrogativo *Qvis*, eleganter Latini utuntur *Qvid*, cum Genitivo. Ut: *Qvis* homo? aut *qvid* hominis? *Qvae* res? aut *qvid* rei?

(Idem fit in redditivo: *Id Hominis*, *id rei* etc. pro, *Is homo*, *ea res* etc.)

30 Dum *qvis* res proprias narrat, utitur *Hoc*: dum ejus *qvem* alloquitur, *Istud*: dum tertii et absentis, *Illud*. Ut, Per caput *hoc* juro (Virgil. suum ostendens) Sic oculos, sic *Ille* manus, sic ora gerebat. Idem.

31 *Ille* et *Ipse*, demonstrant aliquid cum laude; *Iste*, cum contemptu fere.

32 Cum per Pronomina duae res monstrantur, de propiore dicitur *Hic*, de remotiori *Ille* (Ut in Janua L L. §170) Cum vero tres; *Hic* significat praesentem, *Iste* remotiorem, *Ille* remotissimum. Ut est Januae §45. et 639 sexies.

33 *Idem* *qvi*, et *Idemac*, et *Idem illi*, Latinissime dicuntur. (*Idem cum illo*, auctoritatem Veterum non habet.) Ut

Hesperus *eadem* stella *qvae* Phosphorus

Hesperus *eadem* stella *ac* Phosphorus

Hesperus *eadem* stella *cum* Phosphoro

Hesperus *eadem* stella *Phosphoro* (per Dativum) Poetice.

34. Pronomina primitiva, *Ego*, *Tu*, *Sui*, Accusativum emphatice geminant. Me, seu *Meme*: Te, *tetei*: Se, *sese*.

Scholae pansophicae delineatio (in: *ODO* III/1, p. 10sqq.)

VII Theologica

VI Politica

V Logica

IV Philosophica

III Atrialis

II Ianualis

I Vestibularis



- **cottidie senae horae**, mane ab hora VII ad X, dein post meridiem ab I usque ad V horam
- **nihil domi ediscendum**, omnia in scholis ipsis assidue exercendo ediscenda.

VII. CESSATIONUM et FERIARUM ORDO.

91. *Hactenus (a § 59.) operarum ordo; sequuntur cessationes.* Si enim quod caret alternâ requie durabile non est; nos autem exercere Ingenia sic, ut edurare queant, volumus; profecto laboribus remissiones cessationumque intervalla interponi necesse est. Illas vero cessationes cujusmodi? *Horarias, diunas, hebdomadarias, anniversarias.* Nempe ut **post cujuslibet horae attentam mentis operationem, semihorium respirationi detur: post prandium vero ac coenam hora minimum deambulationi et confabulationi.** Et post exactum quemlibet diem, quieti et somno horae octo; nempe ab octava vespertina, ad quartam matutinam. Et bis hebdomade, diebus Mercurii et Sabbati, totum pomeridianum tempus a publico vacet, privatis negotiis, aut recreationibus, impendendum. Et circa anniversarias Christianorum solemnitates (Natalitiorum, Paschatos, Pentecostes) octiduum totum ante, octiduum post. Tandem Vindemiae causâ mensis unus integer.

92. Si cui in concedendis feriis nimium videamur liberales, is cogitet remanere tamen seriis studiorum laboribus **integras 42 hebdomadas, in unaquaque autem hebdomade horas 30.** Quod quia anno conficit horas 1260; nobis vero ex legibus Methodi nostrae nulla hora sine nova luculentaque eruditionis accessione abit: cogita quantum Eruditionis et Sapientiae acervum colligi posse spem faciant integri anni quantumque totius septernii spatia?

93. Appono omnium, per omnes Classes parallele decurrentiura **operarum synopticam Tabellam.** Quae quantô simplicior est, tantô a confusione et tricis tutiora sperari poterunt hîc omnia.

Antemeridiano tempore.

I (Horâ 6 ad 7) *Hymni Scripturarum lectio et ruminatio, Precesque.*

III. (ab Hora 7½ ad 8½) *Pensum Classis primum, το εργον theoretice magis.*

III. (ab Hora 9 ad 10) *Idem, practice magis.*

Pomeridianó.

I. (A prima ad secundam) *Musica, vel aliud Mathematicum jucundum exercitium.*

II. (a semitertia ad semiquartam) *Historia.*

III. (a quarta ad quintam) *Exercitium Styli.*

Delineationis generalis finis.

I. Classis VESTIBULARIS (p. 37/38sq.)

Inscriptio portae: *Οὐδεις ἀναλφάβητος εἰσίτω. Nemo illiteratus ingreditor!*

RATIO inscriptionis est, ut pateat *literarum rudes huc non admitti, sed legendi gnaros.* Immisceri enim analfabetos remorae foret, non magistro solum hujus classis, sed toti coetui. Absolvant ergo sapientiae firunculi suam cum primis elementis luctam alibi, ut huc literari jam veniant.

Picturae auditorii. II. Ut autem immissi huc quoquò se vertent sensuum informationes habeant, *perpingendi erunt omnes quatuor auditorii parietes illis ipsis rebus, quas hñc discere habent. Nempe*

(1) *elegantissimis Latinarum literarum characteribus* (majusculis et minusculis, antiquis et cursivis) unde calligraphiam discant,

(2 et 3) *declinationum et conjugationum typis* quos inter nomina declinandum et verba conjugandum eò usque tironibus intueri jus fasque sit, donec ipsismet a programme pendere pertaesis reque penitus intellectã et usu firmatã memoriter omnia recitare, quam intuitionem oculos fatigare, magis volupe sit,

(4) *sententiolis perbrevis, regulas vitae summas continentibus* sub classis finem memoriae infigendis.

Sacra. III. *Exercitiis sacris* assignabuntur capita catechetica, cum breviculis aliquot *hymnis et precatiunculis.*

Classicus Liber. IV. Primarius liber VESTIBULI nomine insignitur: *cardines rerum, ex quibus universum constat; et radices vocum, ex quibus lingua surgit; eòque bases intellectûs nostri primas et imas* continens cum adjuncta *puerili Ethica.*

Exercitium Mathematicum: V. Mathematicum quoque jam hñc assignandum erit pensum, ut pateat non jocosum fuisse, quod Plato scholae suae valvis praefigi curavit: *Οὐδεις ἀγεωμέτρητος εἰσίτω.* Sapiens enim antiquitatis institutum fuit ut imbuenda sapientiae studiis juvenus a numerorum et mensurarum scientia ordiri eãque praeexercitari necesse haberet, quandoquidem, quemadmodum mundus, et omnia harmonica ad numeros, mensuras, pondera constructa sunt et construuntur, ita mens nostra a numerorum, mensurarum, ponderumque contemplatione ad res ipsas rationabilius spectandum tum lumen tum acumen accipit. Unde scientiis circa rerum quantitatem occupatis *μαθημάτων (disciplinarum)* nomen inditum est reverãque mathematicum ignaro multa rerum mysteria clausa sunt. Ergo nos ad universalis sapientiae scholam admittendos nostros, merito etiam prius ad hoc divinae sapientiae Vestibulum sistimus, ut simul cum literis numeros quoque scribere, pronuntiare, intelligere discant. Quod vel eò respectu necessarium jam erit, ut contentos Vestibulari

libello numeros intelligere allegataque promte inquirere valeant. Hoc illis erit *arithmetices rudimentum*. Ex *geometria* nihil eis, praeter *puncti et lineae* formaturas, damus. Ex *musica* vero *vocum et clavium scalam*, cum solmisandi qualiquali usu. (Turpe enim est *musarum cultores musices ignaros esse*, unde olim Themistocles, cum recusasset Lyram, habitus est indoctor.)

Historicum. VI. *Historicus Liber* nullus hñc est, praeter *Vestibularem* textum. Ex hoc illis, occasione cujuscunque vocabuli, narrari potest aliquid vernacule ad titillandum aures et phantasiam eòque animos praeparandum ad *historiarum* amorem.

Styli. VII. *Styli exercitium* item non aliud erit, quam vocabulorum descriptio, versio et reversio, declinatioque et conjugatio: jam e libris (aut pariete) jam memoriter. Sub finem tamen classis etiam *vocum* in phrases copulatio.

Accessorium nihil. VIII. Neque aliquid accessorii studii ordinamus: praeterquam colligraphiae et picturae, ut hanc privatâ diligentîâ excolant accuratius.

Lusus. IX. *Lusus permittantur*, qualibus per aetatem et gentis consuetudinem idonei sunt.

Actio scenica. X. *Actio scenica erit examen publicum*, inter ipsos Discipulos reciproce sic agitandum, ut quem sibi quisque colluctatorem elegerit, eum quaestionibus urgeat: primò trimestri exactò, ex capite I. *Vestibuli*, secundo e II et III, tertio e reliquis, quarto per *Grammaticam Vestibularem*.

His rite administratis, auferent primae hujus praeliationis tirones justa spolia: *Latinae scilicet Linguae, et cum illa Philosophiae atque Logicae, prima et ima fundamenta*.

II. Classis JANUALIS (p. 37/38sq.)

Inscriptio portae: *Οὐδεις ἀγεωμέτρητος εἰσέρτω. Nemo mensurarum ignarus ingreditor!*

RATIO ex dictis jam patere potest. Quia enim hic jam numerorum crebrior intervenit usus, et circa rerum differentias major emergit lux, matheseos huc afferrî initia (saltem qualia primae assignavimus classi) necessum est.

Picturae auditorii. II. *Icones insigniorum in Ianuae* textu descriptarum rerum (quae nostra in regione ad vivam autopsian haberi non possunt) exstare hñc bonum erit, ab altera parte naturalium, ab altera artificialium. Reliqua duo latera singularissimis, respectu linguae vernaculae necessario observandis.

Sacra. III. Pietatis exercitiorum addetur sylvula cum catecheticis praeceptis ad unguem hoc annò ediscendis.

IV. *Classicus liber* hñc erit *Eruditionis scholasticae pars II rerum et linguae structuram externam exhibens* syntagmate triunò, *Lexicò* nempe Latino-Vernaculò, *Grammaticâ* plena et planâ nativae et simplici *Sermonis* structurae sufficiente, *Textuque Ianuali* seu rerum historiolâ.

Mathemata V. Ex arithmetica discent *additionem et subtractionem*. Ex *geometria figuras planorum*. Ex *musica* solmizationem perfectam.

Historia. VI. *Historicus liber* non alius hñc etiam praeter *Ianuae* textum. Quem (horâ studio historico destinatâ) repetendo, et ex materia quavis (mane jam ita pertractata, ut

verba et res intelligantur) occasione arreptâ suaviter discipulis utilia quaedam narrando, auresque sic et animos titillando, audiendi sarpius quascumque historicas relationes sitim facile accendet industrius magister.

Exercitia styli. VII. Styli exercitium hîc erit *phrasium, sententiarum, periodorumque structura*. Ut datâ quâcungue voce (*nomine, adnomine, verbo, adverbio, prapositione etc*) invenire illi debitas voces secundumque regulas adstruere sciant. Quod exercitium ubi per sex menses duraverit, incipient ex vocibus combinatis construere sententias omnis generis exercitabuntque se in eo per trimestre integrum. Ultimô trimestri periodos resolvere et componere adsuescent.

Accessorium nihil. VIII. Neque hîc *accessorii* aliquid patimur, ne oneremus tenera et distrahi adhuc trepidantia ingenia. Hoc unum totâ vero agant, ut (quod totius eruditionis fundamenta habet) externas rerum differentias et dehinc nomenclaturam exacte percipiant perceptamque teneant.

Ludi. IX. *Lusuum* genera deliget ludimagister.

Actiones publicae. X. *Actio scenica erit*, si Januae textus in populares resolutus quaestiones a pluribus in scena colloquentibus repraesentetur.

III. Classis ATRIALIS.

Inscriptio: *Οὐδείς ἀλαλήτὸς εἰσίτω. Nemo loquendi ignarus ingreditor!*

Eô sensu haec, quô Cicero *negavit eum se posse docere dicere, qui nesciat loqui*. Cum enim proprium sit classi hujus *sermonem ornare*, ornari quî possit quod nondum est? Sermonis igitur simplicis et nativi structurarum gnarum esse oportet, qui huc ingreditur, aut hîc frustra erit.

Pictura. II. Auditorii hujus parietes ingeniosis *emblematis*, sicut et selectioribus de sermone ornando monitis opplere res erit pulchri usûs.

Sacra. III. *Hymnorum, psalmorum, precationum* confici poterit *sylloge*. Sed quia scripturarum S. lectio hic jam incipit, epitomes Bibliorum (quam verbis quidem authenticis Scripturae, contractis tamen et puerili captui accommodatis, concinnavimus) pars prima dabitur in manus. Cujus portione certâ quotidie ante preces perlectâ, explicatâ, repetitâ, memoriae mandatâ, cum DEO et cogitationibus sanctis commercium habere consuescent.

Liber classicus. IV. Fundamentalis liber classis ejus erit, *Eruditionis scholasticae pars III, rerum et Latinae l. ornamenta exhibens*. Cui adstructa sunt *Elegantiae styli praecepta, et Repertorium (Lexicon Latino-Latinum dictum)* sermonem mille modis variandi artificium detegentia. (NB. Classis secunda puri sermonis Latini ostendit fontes, haec tertia rivos ostendet et flumina.)

Mathematica. V. Ex arithmetiis hîc addetur *multiplicatio et divisio*, cum *Tabula Ceбетis*: ex geometria *figurae solidorum*, ex musica *symphonia* Poeseosque Latinae rudimenta, cum selectioribus Catonis, Ovidii, Tibulli etc. versibus.

VI. **Historia** hîc erit *exemplorum memorabilium ex sacris* ad ingenerandum virtutum studium et vitiorum fugam accommodatorum *sylloge*.

Stylus. VII. *Exercitia styli non alia híc erunt quam variationis phrasium, sententiarum, periodorum.* Mense primò per *transpositionem* solam verborum et membrorum, bimestri, quod sequetur, per *transmutationem* (est non res majoris molis.), quartò et quintò mense per *idiotismos* speciales, sexto et septimò per *tropos et figuras*, octavo et nonò per *dilatationem*, decimò, per *contractionem* (qui enim dilatandi novit vias, facillime contrahet retrogradò ordine.), undecimò tentari poterit *metri* ratio.

Accessorium. VIII. *Accessorium aliquid huic etiam classi dare, religio mihi est.* Sat habent ordinarie quod agant: in percipiendis clare, observandis recte, imitandisque apte, tot modis variati sermonis. Satisque uberem ab hac classe reportabunt fructum, ut Authores Latinos quosvis jam lustrare omniaque dehinc linguâ hâc eruditâ peragere valeant.

Recreationes. IX. *Recreationum* certa genera certis horis aut permitti, aut ordinari poterunt.

Actiones scenicae. X. *Spectaculum scenicum, quod comoediae faciem prae se ferat, adornandum est* (adeoque jam adornatum) sub titulo SCHOLA LUDUS amoenissimas habens actiones, quibus omnia inter nominandum repraesentari ad vivum possunt.

IV. **Classis PHILOSOPHICA** [cum subordinato illi Graecae l. studio.]
Inscriptio: *Οὐδεις ἀνιστόρητος εἰσίτω. Nemo historiarum experts ingreditor.*

V. **Classis LOGICA**
Inscriptio: *Οὐδεις ἀφιλοσόφητος εἰσίτω. Nemo philosophandi experts ingreditor.*

VI. **Classis POLITICA**
Inscriptio: *Οὐδεις ἀλόγιστος εἰσίτω. Nemo irrationalis ingreditor.*

VII. **Classis THEOLOGICA** [Cui Hebraeae linguae subordinatur studium.]
Inscriptio: *Οὐδεις ἀσεβης εἰσίτω. Nemo impius ingreditor.*

Sapientiae SAL

E SCHOLASTICIS LABYRINTHIS EXITUS IN PLANUM sive MACHINA DIDACTICA, mechanice constructa ad non haerendum amplius (in docendi et discendi muniis) sed progrediendum (in: *ODO IV*, p. 67/68)

24. *Finis Mechanicae methodi fixe fixus trinus est: SAPERE, AGERE, LOQVI.* Hoc est omnia vere *nosse*; omnia bona recte *agere posse*; necessariaque cum proximis *communicare*. Quae singula cum multa et varia sub se comprehendant, quaerit Mechanica haec methodus praestare, ut *Quicquid discendum est discatur (1) facile (2) cito, (3) solide.* Facile, ut ne quid ingenia deterreat, alliciat potius. *Cito*: quia longe plus discere habemus nos quam antiqui, spatia vero vivendi nobis contingunt breviora quam illis: et quia non discendo vita transmittenda est, sed agendo. *Solide*: ut sub mundi senectam sciamus quicquid scimus non opinemur. IV, 67-68.

LEGES SCHOLAE BENE ORDINATAE (in: *ODO III/4*, p. 784/785)

II/2 **Sapere, Agere, Loqui sapientiae SAL est,** necessarium toti humanae vitae condimentum, sine quo fatua et faetida essent obnoxiaque corruptioni omnia. *Omnis ergo victima nostra* (quam híc offerimus Deo, iuventus Christiana) *sale saliat.*

METHODI COMENIANAE SYNOPSIS

Schola quid? Hūmānitātis officīna. (Novissima ling. methodus, in: ODO II, p. 251/252)

Hūmānitātis nōmine intelleguntur condiōnēs sīve requisīta, quae hominem esse hominem, imāginem scilicet sapientissimī, potentissimī, sānctissimīque Deī faciunt.

Homō ā bēluīs differt	<i>ratione ingeniō mente</i>	<i>ōratiōne sermōne linguā</i>	<i>operatiōne liberā. manūs operatiōne. manū.</i>
Homō vērō discit <i>rēs</i>	<i>ratione videt, audit,</i>	<i>operatiōne tangit, movet,</i>	<i>ōratiōne. nōminat.</i>
In scholīs exercenda	<i>mēns</i>	<i>lingua</i>	<i>manus.</i>
Divīnum sapientiae SAL:	Sapere,	Agere,	Loquī.
SCHOLA doceat	Sapienter Cōgitāre, Honestō Operārī,		Loquī Argūtē.

- ⇒ *rēs* tendunt ad *cōgitatiōnem*, *cōgitatiō* ad *sermōnem* neque aliter fierī potest/dēbet;
- ⇒ etenim *cōgitatiō* et *sermō* sine *rēbus* noxiae et damnōsae sunt, indeque generī hūmānō rixae, dētrīmenta calamitātēsq̄e ortae; ideō etiam nōvissima linguārum methodus est *rērum hūmānarum ēmendatiōnis* pars atque subsidium;
- ⇒ perpetuō igitur *verba rēbus connexa* trādantur;
- ⇒ semper vērō ā *rēbus* per *sēnsūs* (*vīsum, auditum, tāctum, olfactum*) ad *verba* prōgrediendum, *rēs* cum *verbīs* iungenda, quam māximē *ūsū* docendum;
- ⇒ **METHODVS LINGVARVM** ūniformis, simplex, brevis, iūcunda, ad finēs linguārum (*Latīnitātis ūnus fōns sōlī auctōrēs sunt*) rēctā dēdūcēns,
- ⇒ dēbet *ūniversālem rērum tabulātūram* continēre,
- ⇒ *ūnā cum rēbus verbōrum fōrmās, rēgulās, structūram ōrnātumque* prō *discipulōrum captū gradātīm docēre*;
- ⇒ *initiō imās rādīcēs*, tum *integrās sentiētās*, dēnique *ōrnātum linguae docēre*;
- ⇒ *ā faciliōre ad difficilius, ā propinquīore ad remōtius* prōgredī neque salīre;
- ⇒ quicquid discendum est discatur:
 - 1) *facile*,
 - 2) *citō*,
 - 3) *solidē*,
- ⇒ *per lūdum et iocum* profectūs pulcherrimōs dare, *discipulōs citō et tūtō, facile et iūcundē* in *optimōs authōrēs perducere* ingeniaque eōrum expolīre;

⇒ inde VIA quā itur

ad amoenōs auctōrum Latīnōrum hortōs:

ATRIVM – ōrnāmentum – viridārium – elegantiae – corpus vivum et rōbur linguae

IANVA – fōrmāmentum – sēminārium – cōpia verb., syntaxis – corpus et fabrica linguae

VESTIBVLVM – fundāmentum – plantārium – imae rādīcēs linguae – skeleton linguae

⇒ cuius in ūnoquōque gradū trīnum seu triūnum Latīnitātis īnstrūmentum:

τò materiāle	TEXTUS	rēs verbīs tractāns	rēs	īfundibulum
τò fōrmāle	GRAMMATICA	vōcum textūram docēns	mēns	dīrectōrium
τò practicūm	LEXICON	vōcum interpres	verba	subsidiūm
				intellectūs et memoriae
	ORBIS SENS. PICTUS	i.e. Vestibulī et Iānuae linguārum lūcidārium		
	SCHOLA LUDUS	i.e. Iānuae linguārum praxis comica		

Didacticōrum īnstrūmentōrum ūsus patet:

(*Nōvissima linguārum methodus, cap. XIII, in: ODO II, pp. 167-173*)

1. doctīs, docendī gnārīs et avidīs, prōstitūtūrīs aliās et sē et artem,
2. cum discipulōrum dēlectū,
3. quōs plūrēs potius admittī quam pauciōrēs praestat. Sed et hōs
 - a) simul īnstituere incipiat, quōs īnstituit,
 - b) simulque omnēs īnstituatur, nōn singulōs sēparātīm,
 - c) attentōs sibi reddere sciat.
4. Discipulōrum aviditās prōlectanda (*doctrīnā, lūsū, patris īnstār*),
5. īnstrūmentīs didacticīs omnēs īnstruendī (*ita ut omnia conveniant*)
6. et ex illīs ante omnia sphalmata typographica tollenda,
7. aliī libellī interim nōn permittendī
8. nec hī ūsūrpanđī per saltum semperque ā textū inchoandum, in gramm. dēsīnendum,
9. tria quotīdiē fōrmentur: mēns, manus, lingua, nempe:
 - a) explicandō (*māne quō melius intellectuī imprimantur rēs*),
 - b) scrībendō (*post merīdiem meliōris impressiōnis causā trānscribenda*),
 - c) recitandō (*post merīdiem linguae exercitiīs ut fiat familiāre*),
10. discentēs omnia ipsī agant, docentēs tantum dīrigant,
11. discentibus semper praelūdātur,
12. properāre ab initiō nē permittātur,
13. docēns discentium sēnsūs attentīōne continēre sciat et quaerat,
 - a) oculōs semper circumferendō,
 - b) attentīōnem, quot modīs potest (*scilicet sermōne, gestū, pictūrīs in tabulā...*), excitandō,

- c) subinde interrogandō,
 - d) ab aliō in alium sē convertendō,
 - e) tōtam turbam scīscitandō,
 - f) lēctiōnem per saltum continuārī jubendō,
 - g) ut et explicātiōnem,
 - h) scrīptiōnem in cōnspectū omnium exercendō
14. Memoria nōn vī maceranda, ūsū et praxī rōboranda.
15. Exāmina suntō perpetua.

Quōrsum haec omnia?

*Tardī ingenī est rīvulos cōsectārī, fontēs rērum nōn vidēre (Cic. de or. 2, 117).
Imperium facile iīs artibus retinētur quibus initiō partum est (Sall. Cat. 2, 5)*

PRŌ SCHOLAE CORŌNIDE

Ipsa rei īnspectiō prō mille vocābulis
et quibuscunque verbōrum circuitiōnibus est.

Stat mihi prōpositum,
ut in discentiae modōs viāsque inquīrere nē dēsistāmus,
dōnec nōn restet quod quaerāmus.

(*Nōvissima linguārum methodus*, cap. V, in: *ODO II*, § 5, p. 21; ibidem in praef., § 20, p. 10)



Nexus utiles

Opera Didactica Omnia (ODO): <http://www.uni-mannheim.de/mateo/camenaref/comenius.html>

Lexicon Atriale (male litterae cernuntur): <http://books.google.com/>

Lexicon Januale (integrum) *et Atriale* (usque ad litteram I): <http://comlex.pbworks.com/>

Lexicon Atriale (bona versio, sed situs non est apertus): <http://www.manuscriptorium.com/>

Multi Comenii libri: <http://www.tulips.tsukuba.ac.jp/pub/tree/comenius.php>

Iohannis Odstrčilík de Comenio paginae: www.litteraelatinae.eu/?p=77

➤ **Scholam habuit**: Jiří A. Čepelák (Georgius A. Laminarius), cepelak.jiri@seznam.cz

LINGVA LATINA PER SE ILLUSTRATA. Rationis qua tirones doceantur adumbratio: <http://goo.gl/VRuvvO>